

Franckesche Stiftungen zu Halle

Historia Reformationis Ex B. D. Martini Lutheri Aliorumque fide dignorum scriptorum monumentis eruta ac digesta

Majus, Johann Heinrich

Francofvrti ad Moenvm, MDCCX.

VD18 11197102

Locus IX. De Iudicio Extremo Et Consummatione Seculi.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-211445)



LOCUS IX.

De

JUDICIO EXTREMO ET CON- SUMMATIONE SECULI.

§. I.

*Judicium
extremum
asserit Chri-
stus Matth.
XVI. 27.*



Ux de judicio extremo Lutheri sententia fuerit, ex Symboli Apostolici explicatione, XIII. Articulo ex XVII. illis, è quibus Aug. Confessio confecta, & nominatim hujus Articulo XVII. satis liquet. Ipse Christus Matth. XVI. 27. breviter rem explicat: *futurum est*, inquit, *ut Filius hominis veniat in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Quæ verba ita Noster *παρρησιαζει*: etiamsi in hoc seculo securi sint & pace fruantur, ideoque nihil solliciti de futuro; tamen certum est, quod cogentur stare ante tribunal meum, licet id nunc non credant: & tum reddam unicuique secundum opera sua. Erit autem *tribunal gloria*, ac tale, ut nulli liceat effugere, quia erit in gloria Patris & coram Angelis ejus. His verbis absterret à pace mundi, & hortatur ad patientiam crucis. Quia quid prodest hic, vel Cæsare probante, pace frui, cum certum sit istic coram majestate Patris & omnium Angelorum damnari? O quantum erit istud consistorium, quod majestate divina apparente, & tot millibus Angelorum celebrabitur! Et quanto majoris majestatis, tanto majoris terroris & horroris erit impiis.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 365. b.

§. II.

Causa judi-

Cum dicit (*tunc reddet unicuique secundum opera sua*) pri-
mum

num observandum est, quod in hac vita non fit retributio ulla ^{cui, ut cuiq,} veræ pietati vel impietati, sed reservatur ad tribunal Christi; ^{reddatur} quia pii premuntur & calcantur, è contra impii florent & do- ^{secundum} minantur. Ergo pietas in hoc seculo non recipit mercedem ^{opera.} suam, sicut nec impietas suam pœnam & vindictam, sed contraria omnia. Secundum, qui vult esse pius, hoc statuat, ut in futuro spem suam expectet, quod si nolet facere, maneat impius sicut ceteri, & relinquat Paulum, sicut Demas, & diligat hoc seculum &c. In summa, *pietas vel impietas non potest judicari pro tribunali Cesaris*; quia mundus utramque ignorat, nec, quid pium aut impium sit, intelligit, cum damnet pietatem & probeat impietatem. Judicat quidem mundus istas inferiores causas, id est, facta contra secundam tabulam, ut manifesta homicidia, adulteria, furta, injurias &c. Sed quantulum hoc est iudicium respectu magnorum scelerum, quæ contra primam tabulam etiam manifeste fiunt, & contra secundam tabulam, & corde & secreto fiunt? *Es ist ein bettlerisch Gericht und nicht das A b c vom Gericht Gottes* / quia judicat de manifeste probatis coram hominibus, id est, de extremo cortice arboris &c. Tertium, *reddet unicuique secundum opera sua*, sublimiter intelligitur, quod etiam illa opera sit damnaturus, quæ in hoc seculo laudantur; q. d. quia mundus inique judicat de piis & impiis, ideo ego aliter judicabo, & reddam non sicut cogitant homines &c. Ita fiet, ut Johannem Hus, Constantiæ damnatum, probabit, & Papam cum suis sese justificantes, damuabit; quia illi non reddiderunt Johanni Hus secundum opera sua, sed contra quam meruit, ideo quoque contra reddam ei secundum opera sua & salvabo, & illis secundum opera sua, & damnabo eos.

Tom. IV. Jen. Lat. fol. 365. b. 366. a.

§. III.

Igitur iste dies iudicii erit impiis terribilis, piis autem læ- *Dies iudicii*

Kkk kkk 2

tus

piis exopta-
bilis, impiis
terribilis.

tus & exoptabilis; ut Christus Luc. XXI. 28. indicat, quando post commemorata signa terribilia, novissimum diem antecedentia, sic alloquitur fideles: *his autem fieri incipientibus, respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* Quid hoc? quærit Lutherus. Quis gaudere potest ad tanti furoris adventum? Quis hæc capit? Verum hæc dicuntur iis, qui in hac vita multis premuntur adversitatibus, & unice suspirant liberari à peccatis & omnibus malis, sicut oramus in oratione: *adveniat regnum tuum, libera nos à malo.* Si enim hæc vere oramus, necesse est, ut ad signa illa quantumlibet terribilia gaudeamus, quia venit, quod petivimus; optandus est enim ac summe diligendus adventus iste Christi, si optamus à peccatis & malis liberari, quia dicit: *redemptio vestra appropinquat.* Qui vero timent ac nollent hanc diem venire, quid faciunt dum orant: *adveniat regnum tuum, libera nos à malo?* nempe seipfos accusant & contra se pugnant. Quid est enim *redemptio*? quis non optet redimi? Sic Paulus 2. Tim. ult. *non solum mihi reddet coronam justitiae, sed & his, qui diligunt adventum ejus.* Et Tit. II. *expectantes beatam spem & adventum glorie magni Dei, & vos similes* (inquit Luc. XII.) *hominibus expectantibus Dominum suum.* Proinde conandum est cuivis, ne in eo sit odiū aut fuga hujus novissimi diei; quia talis fuga damnabilis est nimis & ad reprobos pertinet, induratos & insensatos; horum enim ferrea frons hoc horrendo terrore conterenda est. Erit enim eadem ista dies, sicut summa securitas & læticia piis, ita intolerabilis horror impiis, sicut modo in hac vita, ipsa veritas dulcissima est bonis, odiosissima vero malis. - Ex his vide, quam pauci sint, qui orent orationem Dominicam, aut regnum Dei, & à malis redimi cupiant, cum tam pauci sint, qui non malint hunc diem nunquam venire. Interim tamen hunc damnatissimum & sceleratissimum affectum, maximam scilicet trabem in oculis suis non videntes, multa faciunt, (ut putant) bona, quibus à peccatis fieri volunt
libert,

liberi, quin per sua studia sese magis ac magis reddunt ineptos ad hunc diem. Porro si invincibilis est in corde tuo pavor hujus diei, ut non possis optare adventum hunc, age, opta, ut optare possis, ora, ut orare possis, desidera desiderium, neque sic desperes, sed doleas, te infirmum adeo, ut redemptionem tui exhorreas, & non dubites, Dominum te exauditurum, sicut promisit, *qui petit accipit, qui querit invenit, & pulsanti aperietur*, adjuuge suffragia & intercessionem aliorum, certus, quod hunc timidum affectum oportet in te extinguere, aut te in æternum damnari, quia peccatum est in Spiritum S. qui resistit gratiæ & redemptioni tuæ, defendens peccatum, quod non vult extinguere.

Tom. II. Jen. Lat. fol. 350. a. 351. a.

§. IV.

Quæ signa præcedant hunc diem, Matth. XXIV. 29. re- *De signis*
 citat, (a) dicens: *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, extremi*
& stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum movebuntur. Quæ *diei*
 quia futura sunt, non est in potestate hominum multa de iis præsumere. Nam quanquam terribilia futura sint illa signa, sic tamen perficientur, ut dies judicii ante veniat, quam intelligantur hæc signa completa, præsertim apud *insensatos*; quia dicit in sequentibus: *attendite ne graventur corda vestra crapula & ebrietate & curis hujus vitæ, & superveniat in vos dies illa repentina; tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ.* Quare etiam si signa illa viderint, deinde quoque audierint ea extremi judicii signa, non tamen credent, sed adhuc futurum diem illum cogitabunt. An hæc signa facta sint in Sole, Luna & stellis, (b) non vult contendere *Lutherus* cum quoquam, sed Christianis dijudicandum relinquit; credit tamen maximam partem signorum jam factam esse, nec multa prodigia restare. Et quanquam, inquit, Astrologis videantur naturalia esse signa, quorum quædam ventura

Kkk kkk 3

prædi-

prædicere possunt, non tamen negant, esse signa horrendum quid portendentia, præsertim si tam multa sese excipiant. Monet tamen in *Enarrat. ad Genes.* (c) VIII. ̄. ult. illum textum bene notandum esse contra vulgatas opiniones de signis præcessuris extremum diem. Ibi enim, inquit, nescio quot dierum eclipses fingunt: nugantur toto septennio nullam mulierem parituram &c. Sed hic textus dicit, non quieturam noctem, non diem, non æstatem, non hyemem. Ergo manebunt istæ vices naturæ, neque ulla unquam eclipsis totum diem hominum oculis adimet.

(a) *Tom. II. Gen. Lat. fol. 349. seq.* (b) *Tom. V. Alt. p. 1007. a.* (c) *Tom. I. pag. 408.*

§. V.

*Antichristi
exitium an
signum ex-
tremi diei?*

De duobus signis aliquid addendum est, quia controversa sunt; quorum alterum est, Antichristi interitus: alterum, Judæorum conversio. De utroque *Lutheri* sententiam, non satis constantem, indicabimus. In explicatione Psalmi CI. (d) meminit vaticinii antiqui inter imagines de Antichristo, quo memoretur, quod sub finem mundi, postquam detectæ Antichristi fraudes fuerint, homines feroces & sævi futuri sint, deficientes à fide, ac dicentes, nullum esse Deum, & secundum concupiscentias suas libere viventes. Hujusmodi imaginibus valde se moveri scribit, easque nunc impleri. Ad *Genes. VII.* ubi de Diluvio, impio primo orbi immisso, loquitur, sic scribit: (e) *hoc judicium Dei Papistæ intueri debebant*; docet enim quod Deus non multitudinem, non potentiam, non denique suam promissionem se impedire sinat, quo minus peccata puniat, in impœnitentibus. Alioqui etiam primo mundo, & Patriarcharum posteritati Deus parsurus erat, cui dominium terræ concesserat: nunc perdit omnes, & tantum octo animas servat. Quid igitur mirum est, si idem cum Papistis faciat, qui etsi jactant præscriptionem, dignitatem, multitudinem, potentiam: tamen quo-

quoniam verbum Dei conculcant, & persequuntur, abjiciet eos Deus, & deliget sibi aliam Ecclesiam, quæ humiliter se verbo submittat, & obviis ulnis beneficia Christi excipiat, quæ Papæ Ecclesia superbe, fiducia proprii meriti, contemnit. Non igitur confidendum est in res præsentēs & possessas, etiam divino verbo promissas. In ipsum autem verbum respiciendum, & eo solo nitendum est. Qui hoc non faciunt, sed discedunt à verbo, & præsentibus rebus nituntur, hi etsi multi, magni, potentes sunt, tamen hanc defectionem à fide non ferent impune: sicut diluvium ostendit, sicut ostendit captivitas Judæorum, & hodierna eorum calamitas. *Papistæ* quidem (f) hoc uno argumento nos urgent, Christum affuturum Ecclesiæ usque ad consummationem mundi; portas inferorum non prævalituras adversus eam. Hæc pleno ore jactant, & putant impossibile esse, ut pereant. Fluctuari potest cymba Petri, inquiunt, sed non opprimi fluctibus. Non dissimilis securitas & confidentia fuit ante diluvium, & tamen videmus universam terram periisse. Jactabant quidem Dei ordinationes esse perpetuas, nec unquam Deum, quod semel condidit, sustulisse aut mutasse penitus; sed eventum considera, & videbis eos falsos, Noah autem solum fuisse verum. Nisi igitur Spiritus S. illuminatio accedat, impossibile est hominem hoc argumento non vinci. Nam statuere, quod Deus creaturam suam penitus sit deleturus, an non est Deum facere inconstantem & mutabilem? Et tamen Deus ipsi Noah hoc revelat, quod velit adducere finem, non unius partis carnis, aut terræ, sed universæ carnis & terræ. In *Colloq. com. vival.* (g) ait: possibile est, diem extremum prope esse, sacra testatur Scriptura, omnia sunt perinvestigata, præsens seculum, si confertur ad præterita secula, vix spatium palmæ in se continet, est tanquam pomum medium in arbore pendens, cæteris decerptis. Evacuata est Monarchia Babyloniorum, Persarum, Græcorum, Romanorum, quibus Daniel mundum definivit.

Papæ

Papa servavit Romanum Imperium, ille est ultimus potus Joannis, regnum suum diu persistere non potest, quia interire incipit.

Vid. supra pag. 797.

(d) Tom. VI. Alt. p. 200. a, b. (e) Tom. I. in Genes. p. 385. b. 386. a. (f) ibid. ad Genes. VI. p. 355. b. 356. a. (g) Tom. I. Gen. Lat. fol. 49.

§. VI.

an judaorū
conversio?

De conversione Judæorum Noster (h) Enarrat. in Psalm. XIV. 7. *quis dabit ex Zion salutare Israël? Cum converterit Dominus captivitatem plebis sue &c.* ita sensit scripsitque: *hoc video, ab illustribus Patribus intelligi super Judæos in finem convertendos.* Quod si verum est, oportet Psalmum referri ab initio sui ad tempus Christi, quando Synagoga sic erat excæcata, ut multi (nempe Zaducæi) etiam spiritum & angelum negarent, & resurrectionem carnis, ut Lucas Act. XIII. 8. refert, & Christus Matth. XXII. 29. *erratis, nescientes virtutem Dei, & Scripturas &c.* Sic enim dixerunt in corde suo: *non est Deus.* Deinde avaritia, hypocrisis, incredulitate, erant corrupti & abominabiles in studiis suis, & consilium Christi inopis ac pauperum Apostolorum, non modo non susceperunt, sed etiam per summam ignominiam damnaverunt. In quam sententiam & Paulus Rom. III. de hoc Psalmo videtur dicere: *scimus, quod quæcunque lex loquitur, iis, qui in lege sunt, loquitur.* Hoc sensu Psalmus totus à B. Augustino tractatur. Tunc sequitur eodem filo ductus sensus, *quis dabit ex Zion salutare Israël? Q. d. frustra prædicatur eis, non nostrum est, ut salventur, etsi consulamus & oremus sedulo, ut Paulus Rom. X. 1. voluntas cordis mei & obsecratio ad Deum pro illis sit in salutem.* Ut sit ista quæstio anxii affectus, ac velut parturientis & optantis esse *anathema à Christo* pro eis (sicut Paulus Rom. IX.) ubi omnia agat, & tandem mysterio insuperabili prohibitus dicat: Sed quid facio? quid laboro? quis poterit eos salvare? Illud tandem veniendum est, quod mysterium hic Deus operatur, quia *cacitas ex parte conti-*
git

git in Israel, donec plenitudo gentium intraret, & sic omnis Israel saluus fieret. Sicut scriptum est: *veniet ex Zion, qui avertet impietatem à Jacob.* Et hoc à me Testamentum illis, cum abstulero peccata eorum, Rom. XI. 25. ff. Asperimus enim est iste locus, nec ab ipso Paulo satis aperte explicatus, nam & *Isaia* locum 59. quem inducit, non parum mutat. Unde *nec ego hoc mysterii, seu secreti consilii hucusque satis intellexi.* Quod si generaliter (ut coepimus) Psalmum de omnibus hominibus intelligimus, nec sic male intelligimus, quia si ad literam de Judæis solis loquitur, sicuti vere cogit Paulus dictis jam locis ad Roman. hoc tamen verum est, eos in hoc esse exemplum omnium impiorum, qui in Ecclesia quocunque seculo, & præsertim in diebus novissimis futuri, fuerunt & sunt. Sicut 2. Pet. II. *Sadomitas* dicit *positos exemplum eorum, qui impie acturi sunt.* Item & *Balaam* eorundem exemplum, & *Judas*, imo & *Johannes* 1. Joh. III. *Cain* exemplum ponunt eorum, qui ex maligno erant. His ergo omnibus, cum omnia frustra dicantur, atque fiant, tandem tradita causa divino secreto, non habetur nisi reliquus gemitus, *qui optet, nec tamen desperet, futuram in fine Dei misericordiam,* sicut & nos hodie Ecclesiæ captivitatem optamus & speramus converti. Quis ergo dabit salutem Israel? dabit autem ex Zion. Nemo, donec ipse Dominus convertat captivitatem plebis suæ, scilicet *ejus, quæ secundum carnem Israel est,* & jam in maxima & longissima & pessima omnium captivitate tenetur, tam corporaliter, quam spiritualiter captiva: similiter exemplo hujus, captivitatem plebis suæ cujuscunque, etiamsi non sit secundum carnem Israel & plebs Dei: *Nisi enim Dominus edificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui edificant.* In Enarrat. in Esa. LIX. (i) hunc in modum disseruit de hac conversione: Paulus hunc locum paulo aliter citat Rom. XI. & pro more ex generali specialem facit, & hanc sententiam accommodat ad casum Synagogæ. Q. d. agnosco

LII III

lapfos

lapsos & excecatos Judæos, sed nondum prorsus abjecti sunt. Habent enim promissiones & verbum. Quamdiu autem verbum duraverit, liberatio quoque durabit. Gentes reliquiis adduntur, & sic fiunt omnes Israel. Nam quod dicit: *adveniet*, non de adventu personæ cujusdam, aut novi Salvatoris est intelligendum, sed de spiritali adventu verbi & spiritus. Durante igitur verbo, inquit, durabit & redemptio Israel, quod semper aliqui convertentur. Satis autem est pro impletione Scripturæ, aliquos saltem Judæos aliquando converti. In Tract. *de Judæis eorumque mendaciis* (k) scribit, cum Novum Testamentum testetur Judæos inter omnes Gentes esse dispergendos, & Hierosolyma ab Ethnicis conterenda, donec tempus gentium impleatur (id est, usque ad finem mundi) ut Dominus noster ait Luc. XXI. 26. Christus enim æternum manebit, nec ullus alius Messias veniet: credere me oportet, adhuc quosdam, & oppido paucas feces ex Judæis relinqui debere in orbe, sine tamen proprio regimine. In Postill. tamen Eccles. ad Evangel. Matth. XXIII. 34. ff. *festo Stephani* disertis verbis conversionem Judæorum adstruxit, quando ad vers. ult. *dico enim vobis, non videbitis me ab hoc tempore, donec dixeritis: benedictus qui venit in nomine Domini*, sic commentatur: *hic tamen tandem Judæis solatium reliquit Dominus*; hæc enim verba elocutus est die Martis post Dom. Palmar. suntque clausula verborum & ultimæ concionis ejus in terra. Itaque nondum impleta, sed adhuc implenda sunt. Nam, quod dixit, *non videbitis me amplius*, non ita intelligendum est, ac si eum postea non vidissent, cum eum crucifixerint; sed hoc voluit, Judæos ipsum non amplius visuros tanquam Doctorem & Prophetam, in officio ad ipsos venientem. Certum igitur est, Judæos adhuc dicturos ad Christum: *benedictus, qui venit in nomine Domini*. Hoc etiam Moses prædixit Deuter. IV. 30. 31. *novissimo tempore redibis ad Dominum Deum tuum, ejusque voci obtemperabis. Etenim* *ehovah*

vah Deus tuus est misericors Deus, non te deseret, nec perdet, nec obliviscetur fœderis, quod cum patribus tuis jurando sanxit. Item Hos. III. 4. 5. diu sedebunt Israëlita sine Rege, sine Principe, sine sacrificio, sine statua, sine ephodo, ac imaginibus. Postea convertentur Israëlita & quærent Iehovam Deum suum, & David Regem suum (id est, Christum) & formidabunt Iehovam ejusque bonitatem, postremis temporibus. Et Azarias 2. Paral. XV. 2. 3. si Deum deserueris, deseret etiam vos. Et dies multi erunt Israëliti, sine Deo vero, & sine sacerdote doctore, & sine lege. Sed revertetur in angustia sibi ad Dominum Deum Israëlitis, & quæret eum, & invenietur ipsi. Hæc dicta non nisi de hodiernis Judæis intelligi possunt; antea enim nunquam sine Principe, Propheta, Sacerdote, Doctore, Lege fuerunt. S. Paulus etiam consentit & dicit Rom. XI. 25. seq. cæcitas obligat parti Israëlitarum, donec plenitudo gentium introierit, & sic omnis Israël salvetur. Fexit Deus, ut tempus appropinquet, ceu speramus, Amen.

Nihil luculentius nihilque certius pro conversione Judæorum dici potuit, quam hoc ipso in loco, quem si cæteris omnibus locis, pugnantibus cum hoc, ut apparet, prætulerimus, nemo id vitio nobis vertere poterit, nitentibus non tam auctoritatem Lutheri, quam Dei ejusque verbi.

(h) Tom. II. Ien. Lat. fol. 166. b. (i) Tom. III. Ien. Lat. fol. 440. b. (k) Tom. VIII. Alt. pag. 277. b.

§. VII.

Quando dies novissimus venturus sit, nunquam definire Tempus iussus fuit Lutherus. *Supputationi Annorum Mundi* A. 1541. editæ, præmisit (l) dictum eorum, qui dicebantur de domo ELIÆ Prophetæ, Burgen. P. I. distinct. 3. cap. 4. Scrutinii. *Sex millibus annorum stabit Mundus. Duobus millibus inane. Duobus millibus Lex. Duobus millibus Messiah.* Isti sunt sex dies hebdomadæ coram Deo: *septimus* dies Sabbatum æternum est. Psal. XC. & 2. Pet. II. *mille anni sunt sicut dies unus.* In *Colloq. convivial.* (m) id

LII III 2

fere

fere repetit, sed plura etiam addit. *Mundum*, inquit, *duraturum* 6000. annos, multorum opinio est: quinque millia, quingentos & aliquot annos mundus stetit; dies autem decurtabuntur. Nam sicut lex Moſis citius data erat ante tempus: ita adventus Christi decurtabitur. Nam si Deus mundum destruere incipit, diu non morabitur, sicut cum Babylone fecit. Ita hoc decennium fere novum est seculum, ruit Papa, & omnia mutantur, diu consistere non potest, nisi fiat novus Papatus. Igitur vigilandum spiritualiter fide, & corporaliter vita nova, ut parati inveniamur, 2. Pet. III. Ibidem mentio fit *M. Stifelis*, Locha Wittebergam venientis A. 1533. d. 28. Septembr. colloquii causa de die extremo, quem asseverabat eod. anno die Lucae venturum, incidebatque in eam persuasionem, se esse Angelum septimum, qui divina sua revelatione diem extremum præcedat, habeatque tubam septimi Angeli: huic viro pio & docto *Lutherus* assensum haud præbuit; has autem cogitationes de extremo iudicio habuit, quod circa tempus Paschatos futurum sit, ubi, inquit, periit Pharaō: eodem tempore mundus est conditus: eodem tempore annus mutatur, & Christus resurrexit, & mundum renovavit. Sic & fortasse extremus dies circa illud tempus venturus est, circa Pascha, ubi est formosissimus annus, & mane, Sole oriente, ut Sodomæ & Gomorrhæ, nubiloso cælo, exortis tonitribus & terræ motibus, per unam horam, ac paulo diutius. Tum dicturos homines, talia videntes & audientes: enī stulte, an nunquam ante tonitrua audivisti. Ita dies novissimus repente mundum obruet, & nos, qui vivimus, immutabimur, juxta 1. Theſſ. IV.

Stifelis per-
suasio.

Lutheri
conjectura.

(l) *Tom. IV. ſen. Lat. fol. 689. b.* (m) *Tom. I. Lat. p. 48. b. 49. ſeqq. Germ. fol. 360. edit. vet.*

§. VIII.

Adventus
Christi ad

Adco manifestus erit adventus Filii Dei, ad iudicium, ut omnes eum videre cogantur, sicut primus adventus adeo fuit occultus.

occultus, ut è cœlo per Angelos pastoribus nunciaretur. Hic *judicium* vero non nunciabitur ab ullo, sed videbitur ab omnibus crea- *manifestus*. turis ubique, atque ut ille in contemptu & humilitate peractus est, ita hic in gloria & majestate celebrabitur. Sic Apoc. I. 7. & *videbit eum omnis oculus*. Matth. XXIV. 31. addit dicens: & *mit- tet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt electos ejus à quatuor ventis, à summis cœlorum*, (id est, ab oriente) usque ad terminos eorum (id est, ad occasum.) Hæc est dies illa, de qua 1. Cor. IV. 5. dicit: *Dominus illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, ubi omnium omnia manifesta erunt*. Et plangent se omnes tribus terræ, Matth. XXIV. Maxime vero omnium describit eam Sophon. I. 15. *vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis* (id est, potens seu tyrannus sicut Nimrod) *dies ira, dies illa, dies tribulationis, dies nebula & turbinis, dies tuba & clangoris*.

Tom. II. Jen. Lat. Lat. fol. 350. a.

§. IX.

Veniet autem Filius Dei, & judicabit mundum aliter ac *punit mundum* primum & secundum mundum. Nam invalescentibus peccatis, *dum igne,* Deus primum mundum diluvio perdidit. Nec secundo peper- *ut signo Iri-* cit mundo, qui sub lege fuit. Nam propter idololatriam & im- *dis declara-* pium cultum, non solum una Monarchia post aliam everfa est, *vit.* sed etiam ipse populus Dei variis incommodis & captivitatibus agi- tatus, tandem à Romanis penitus vastatus est. Noster tertius mundus, qui tamen est mundus gratiæ, ita blasphemis & abo- minationibus abundat, ut non possibile sit eas aut oratione com- plecti, aut corde apprehendere. Ideo non poterit puniri corpo- ralibus pœnis, sed æterna morte & igni æterno punietur, seu, ut ita dicam, diluvio ignis. Nam idem vaticinantur colores Iri- dis. Primus aqueus est, quod primus mundus diluvio propter injurias & libidinem sit punitus. Medius est flavus, nam idolola- triam & impietatem medii sæculi Deus variis calamitatibus ul-

rus est. Tertius & supremus color, est ignis, qui tandem mundum cum omnibus iniquitatibus & peccatis absumet.

Ad Genes. V. 5. ult. p. 306. a. b. Conf. ad Genes. VI. p. 357. a.

§. X.

*Cælum &
terram
transitura,
non quoad
substantiam
peritura.*

Tum cælum & terra transibunt. (n) Hic torquentur aliqui, quomodo cælum & terra sint transitura? Non quo ad substantiam (inquiunt) sed quo ad formam; quasi non sint verba Christi aperta. *Transibunt*, non ait peribunt, aut nihil erunt, sed transitum facient, hoc est, mutabuntur. Unde 2. Pet. III. 7. *Cæli, qui nunc sunt & terra eodem verbo repositi sunt igni.* Et infra 5. 10. *fl. adveniet autem dies Domini, in quo cæli magno impetu transibunt.* Item 5. 12. *per quem cæli ardentes solventur & elementa ignis ardore tabescent.* *Novos vero cælos & novam terram secundum promissa ipsius expectamus, in quibus iustitia habitabit.* Sic Hebr. I. 11. ex Ps. CII. 26. *opera manuum tuarum sunt cæli, ipsi peribunt, tu autem permanebis, & sicut vestimentum mutabis eos & mutabuntur.* Et Esa. XXX. 26. hanc mutationem prædixit: *& erit lux Lunæ, sicut lux Solis, & lux Solis erit septemplex, sicut lux septem dierum, in die qua alligaverit Dominus vulnus populi sui, & percussuram plagæ ejus sanaverit.* Ejusdem LXV. 17. *ecce enim ego creo cælos novos & terram novam, & non erunt in memoria priora, sed gaudebitis & exultabitis usque in sempiternum in his, quæ ego creo.* Igitur omnia immutabuntur, verba Christi non mutabuntur, hoc est, non transibunt, quia vera & fidelia in æternum. Hoc dicit, ut fiduciam nostram stabiliat, quæ in verba ejus nititur, quod videlicet, hæc omnia sunt ventura, ut tum capita levemus & gaudeamus, quod redemptio promissa certissime instet, qua liberemur ab omnibus malis peccatorum & poenarum, Amen. Eodem modo A. 1524. in explicatione 2. Epist. Petri scripsit, cum allegasset 2. Thess. I. 7. 8. & 1. Cor. III. 13. (o) Quando dies extremus subito veniet, uno momento omnia igni ardebunt, quæ in cælo & terra sunt, in

in

in pulverem & cineres redigentur, & cuncta per ignem immutabuntur, quemadmodum in primo mundo per aquam.

(n) Tom. II. Gen. Lat. fol. 351. b. (o) Tom. II. Alt. p. 484. a.

§. XI.

Qualis igitur status post consummationem τῆς αἰῶνος γῆς Nova terra huius seculi futurus sit, ex dictis haud obscure colligi potest. *Es novum Adducemus tamen alia Nostri loca, è quibus dilucidius ejus cælum.* mens patet. Incipiam à Genesi, ad ejus cap. XLV. 26. præt allegata verba Psal. CII. *initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cæli &c.* (p) ita commentatur: *cælum & terra paulatim mutantur & veterascunt, ac tendunt ad corruptionem; postea vero induent novam vestem.* Deus enim non solum terram, sed & cælum ipsum longe pulchrius faciet, ubi veteri indumento fuerit exutum. *Das ist nur sein Werkelkleid / hernach werden sie ein Osterrock und Pfingstkleid anziehen.* Hodie non est tanta claritas & splendor luminis solaris, quanta post hanc vitam erit: neque tantæ sunt vires reliquarum creaturarum, quantæ initio creationis fuerunt, sicut testantur rustici naturam paulatim senescere, ac arbores sive in saltibus, sive in hortis citius succrevisse ante triginta aut quadraginta annos, quam nunc, & incrementa sex, aut septem annorum in arboribus horum temporum, vix æquare annum augmentum superioris seculi. Terra igitur alio indumento ornabitur, & cælum quoque ac luminaria longe erunt splendidiora. Ut apud Esaiam dicitur cap. XXX. *sed & lux Luna erit sicut lux Solis, & lux Solis septies clarior erit.* *Einem alten Rock der zureisset / muß man mit einem neuen stücken.* Ad eundem modum nos quoque purgat Deus à peccatis, & liberat à morte, *quod est opus sex dierum huius mundi*, illis vero exactis, cum fuerimus ingressi in requiem ejus, tum mutabitur amictus noster lacer & sordidus in vestimentum æterni Sabbathi. Ad Psal. CII. citat. (q) in explicatione Psalmorum poenitent. A. 1517. brevissime dixit: *ideo omnes*

omnes

omnes creature, etiam cælum, mutabuntur, non peribunt & annihilabuntur, sed innovabuntur. Ad Gen. VI. (r) comparationem instituit inter mundum primum, qui aqua periit, & posteriorem, qui conflagrabit. *Sequetur tamen, inquit, hanc corruptionem melior mundus, qui in æternum durabit, & serviet piis.* E Novo Testamento huc pertinent loca à Nostro explicata in hanc sententiam 1. Cor. XV. 43. (s) ubi de homine resuscitato & spirituali corpore vestito, ita disserit: *postea, quando (fidelis) ita spiritualiter in Deo vivit, prodibit quoque in cælum & terram, cum Sole, Luna & omnibus aliis creaturis ludet, iisque delectabitur, satiabitur & salvabitur, adeo ut de cibo & potu nunquam cogitaturus sicque prorsus spiritualis essentia vel vita dicenda sit totius hominis, quæ ex Spiritu orietur & à Deo vel per Deum immediate proficiscitur; ut non solum quo ad animam ab eo illuminemur, eumque cognoscamus, sed permeabit etiam totum corpus, ut tam clarum & lucidum (vel si non subest mendum in German. *leicht leve*) futurum sit, sicut aër, ac omnia acute audire videreque queat, quacunq; orbis patet: atque adeo nulla re indigeamus ad conservationem vitæ nostræ, & tamen verum corpus habeamus.* - In illo die extremo *da soll auff einmahl gar ein neu Wesen werden / nicht nur an uns Menschen / sondern mit allen Creaturen.* Ad 2. Petr. III. 13. (r) repetit promissiones Dei per Prophetas passim datas, de *novo cælo & nova terra*, Esa. LXV. 17. XXX. 26. & Christi verba Matth. XIII. 43. & hæc subdit: *quomodo hæc fiant, scire haud possumus, nisi quod promissa sint novum cælum & nova terra, in quibus nulla iniquitas sed mera justitia & filii Dei habitabunt: quemadmodum etiam Paulus Rom. VIII. dicit. Ibi nil nisi charitas, lætitia & voluptas erit, ac nil præter regnum Dei. In Colloq. Con-vival. Tit. de resurrectione mortuorum & vita æterna narratur, (u) quomodo Lutherus cum convictoribus suis ad seria conversus de vita æterna, & novo cælo atque terra creandis, dixerit*
ibi